

linguae apostoli, quam nunc sunt Silesij. Potuissent igitur intelligibilem constituere syntaxin et vitare soloecismos. Eadem ratione incumbit ipsis probatio, quod verba coenae dicta sint post coenam, sed profecto talia deliramenta vel melancholica vel phrenetica homini sano non venient in mentem. Quam vero impudens mendacium est nusquam in sacris literis corpus de pane praedicari! Oblitus es, fanatice, propositionum: „Panis est κοινωνία corporis Christi“<sup>235</sup> „Non discernunt corpus domini.“<sup>236</sup> Sed desino et oro pios, vt veniam dent huic rixae acerbiori, quam mihi expressit iustus dolor propter contumeliam Christi. Reducat Filius Dei errantes in viam et blasphemus coerceat iusta poena, ne plures a Deo auellantur. 5 10

**Tertia pars exegesis, quae ostendit rationem, qua existimatur pia posse constitui concordia.**

Exposuimus mediocri perspicuitate controuersiam, quae nunc vbique gliscit de sacra coena et vere affirmare possumus nos neque irretitos vllis priuatis cupiditatibus aut amore sectae alicuius ista proponere, sed simplici tantum studio euoluendi veritatem, ne con-[81:]scientia nostra saucietur vllis contagiis idololatricarum opinionum, sed habeat firmam noticiam et consolationem, qua tuto possit erigi et acquiescere, in tanta iudiciorum et hominum non tam dissimilitudine quam peruersitate. Ideo etiam partem a nobis dissentientem nequaquam vlllo odio prosequimur vel illorum contumeliam aut oppressionem expetimus, sed hoc nostrum est desiderium, haec nostra vota, vt etiam in hoc articulo pius constituatur consensus aut si qui, vt profecto plurimi faciunt, moderatis consiliis retragantur, saltem ad aequas condiciones pacis vel induciarum adduci sese patiantur, vt coniunctis animis confessione et precibus gloria Dei illustretur et religio explicate sineque ambiguitatibus ad posteritatem propagetur. Etsi autem deridetur nostra pacificatio tanquam destituta autoritate et nobis accidet, quod veteri Germanico prouerbio dicitur, eum, qui in rixa se interponit medium, grauius feriri, tamen cum, vt olim dictum est, et olitor interdum sit valde opportuna locutus, prudentiores et hanc consultationem cognoscent, atque cum in expositione reliquae causae non formidauerimus iudicia iniquorum et in hac compositionis tractatione aleam iaciamus. Si dulces, blandae et sanctae conciones sanare possent animos exulceratos hominum, profecto oratio benignae illius animae, quae omnes tractabat mollissime et humanissime, sopiisset omnia odia. Sed vt ille vir fortis ait nec verba ignavis virtutem addunt nec quantumuis vtilis commonefactiones emendant insanabiles. Imo animaduersum est in plaerisque rabiem creuisse, quando indulgentia et lenitate bonorum se abuti posse viderunt. Ideo tales tanquam deplorati apud medicos relinquantur prognosticis, hoc est seuerissimis Dei comminationibus, qui impietatis et crudelitatis erit vindex 15 20 25 30 35

<sup>235</sup> I Kor 10,16.

<sup>236</sup> I Kor 11,29.